



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput Primum. In a Exodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

*Hic profecto est annulus, quem ego suspicor
Hunc, quocum exposita est nata*

Subdit: *Exponere est morti tradere, & obicere.*
Eodem sensu in actibus Apostolorum capit. 7.
vers. 19. dicitur: *Exponere infantes tuos, ne vivi-
ficarentur.* At nobis lib. 8. advers. Gent. ait: *Vos
enim video procreatos filios nunc feris, & avibus
exponere, nunc adstrangulatos misero mortis gene-
re illidere.* Facit Ovidius in Epist. Canacis ad Ma-
carium:

*Iamque dare parvum, canibusque, avibusque,
nepotem*

Iusserat, in solis desititque locis.

Vagitus dedit ille miser, sensisse putares,

Qua quis suum poterat voce rogabat avum.

Quid mihi tunc animi credis germane fuisse?

Nam potes ex animo colligere ipse tuo.

Cum mea me coram silvas inimicus in altis

Viscera montanis ferret edenda lupis.

Quid puer admisit tam paucis editus horis?

Quo laetit factis vix bene natus avum?

Si potuit meruisse necem, meruisse putetur:

Ab miser admissis plebitur ipse meo.

Eadem pena capitis puniuntur parentes illi, qui
etsi non in solitudine, in olla infantes exponunt;
nam & facile intercludi posset spiritus tenellus,
& negligi a praeereuntibus in vili testa condi-
tus, ut resolvit Ant. Matthæus de criminibus ad
lib. 48. Digest. iii. ultim. cap. 2. Secundus casus
contingit cum amoris vi victæ feminæ, seu alte-
rius libidini obsequatur, & metu ignominia ad-

actæ partum exponunt, ut plerumque continge-
re, aut pudoris, aut decoris servandi causâ con-
stat ex Aristophane in nubibus, Calphurnio Flacco
declamat. 49. ibi: *Veniet ad nos prava mulier ac-
cusatura pietatem; infantem adhuc iussit feris ca-
nibus, & diris alitibus exponi.* Ex Plauto de
Cistellario scena 3.

At illa quam compresserat

Decimo post mense ex alto huic peperit filiam.

Paternum servum sui participat consilii:

Dat eam puellam ei servo exponendam ad

necem;

Is eam projicit.

Quo casu mitius puniendæ sunt, cum talis metus
cadat etiam in constantes viros, l. isti 8. §. penult.
ff. de eo, quod metus causâ: quanto magis in timi-
das puellas? Docent Jul. Clarus lib. 5. sentent. §.
final. q. 83. Menochius de arbit. casu 396. num. 7.
Tertius casus est, cum pater filium exposuit non
in solitudine, sed in hoc loco publico aliorum
misericordiam; quo casu cum mors sequatur non est,
tantum in eo puniuntur patres, ut exinde priven-
tur patria potestate, quam in filios habebant.
ex præfenti Gregorii constitutione. Tandem si pa-
rentes filios exponant ob summam egestatem, quâ
laborant, & omnino non deserant, sed ponant in
Xenodochio, aut simili loco publicè deputato ad
exponendos similes infantes, nullâ penâ affici-
untur, ut cum aliis resolvit Velafcus de
privileg. pauper. 2. p. quæst. 65.
numer. 207.

TITULUS XII

De homicidio voluntario vel casuali.

CAPUT PRIMUM.

In^a Exodo.

SI quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari
meo evelles eum, ut moriatur.

NOTÆ.

- I. ^a **E**xodo.) Ita etiam legitur in prima colle-
ctione, sub hoc tit. cap. 1. & reperiuntur
verba hæc in cap. 21 Exodi, ubi legitur volens:
quod verbum cum omisum fuerit in hac sexta col-
lectione, attendi non debet. Quatenus autem præ-
ceptum hoc legis veteris servari, suscitarique pos-
sit, exposui in cap. translato, de consil. & expli-
cat Alberic. Gentilis de libris juris can. cap. 5.

COMMENTARIUM.

2. **V**arias hujus textus interpretationes adduxe-
runt repetentes in præfenti, & Joannes Brun-
nellus adhunc textum, ex quibus Panormitanus,
quem sequuntur Gutierrez lib. 1. practice. quæst. 2.
num. 4. Visquerus in tract. de immunit. Eccles.
num. 41. Sarpus de jure asylorum, Sanchez tom. 2.
consil. lib. 16. cap. 1. dubio 9. & alii, quos refert

Castillo à Bobadilla in sua polit. lib. 2. cap. 14.
num. 13. accipiunt textum hunc de clericis, qui
ob homicidium voluntarium evellendi sunt ab
altari cui peculiariter ipsi mancipati sunt, ut ul-
timo supplicio afficiantur: sed meritò eos refer-
unt plures congesti à Barbosa in præfenti, Mar-
quez in suo gubernat. cap. 12. §. unic. Delbene de
immunit. Eccles. cap. 16. dubit. 2. sect. 1. & convin-
citur ex ipsius textus facti contextura, ubi gene-
raliter, & indistinctè agitur de homicidiis vo-
luntariis, & per insidias perpetratis. Quare nulla
est ratio accipiendi generalia hæc verba de cle-
ricis tantum. Deinde quia clerici, etsi atrociori-
bus enormitatibus dediti sint, nisi prius degrada-
ti, non traduntur Curia seculari, immò & in
hoc casu homicidii per insidias perpetrati, cleri-
cum non posse per iudices seculares ab Ecclesia
extrahi, docuerunt Bernardus Diaz in praxi,
cap. 90. & 115. Covarr. lib. 2. var. cap. 20. num. 7.
Anal. Germonius de sacror. immunit. lib. 3. c. 16.
num. 91.

num. 91. Aldrete de relig. discip. lib. 2. cap. 26. Quare hac sententiâ omisâ verius dicendum est, in præfenti textu agi de homicidiis proditoriis, seu per insidias admissis, immunitate ecclesiastica non gaudentibus, juxta tradita in cap. inter alia, de immunit. Eccles. ubi textum hunc exposui, Proditorius autem homicida dicitur, cum nullâ præcedente causâ, rixâ seu discordiâ, & securè occidit quis innocentem nihil tale suspicantem. l. propter insidias l. 4. C. qui accusare, l. final. Cod. de aleator. cap. si capis 16. q. 1. authent. de mandatis Principum, per tot. collat. 3. §. neque. Gregorius XIV. in sua Bulla, ibi: Aut quis proditorie: & l. final. tit. 7. libr. 8. ordin. l. 11. tit. 11. eod. lib. docent Covarr. d. cap. 20. num. 7. Peguera de cis. 5. num. 3. Gutier. lib. 1. pract. quest. 2. num. 7. Remigius de immunit. fallent. 14. Thomas Delbene eodem tractat. cap. 16. dubit. 20. sect. 1. Germonius lib. 3. de sacror. immunit. cap. 16. num. 59. Fachineus libr. 9. contro. cap. 99. Marquez in suo Gubern. libr. 2. cap. 32. §. 1. Molina de justit. tractat. 3. disput. 23. Sanchez lib. 6. consil. cap. 32. §. 1. Marius Cutellius de præfca Eccles. libert. libr. 1. quest. 1. glossa 7. num. 38. & qu. 5. qui contra Dianam questione antecedenti intendit textum hunc procedere in eo, qui non consummavit homicidium proditorium, sed tantum attentavit perpetrare. Homicida proditorius etiam dicitur, qui feminam occidit, quia se defendere nequit; ideo talem homicidam non gaudere immunitate, resolvit Carrasco ad leges recop. cap. 13. §. 1. Similiter & occidens sacerdotem, Bobadilla lib. 2. cap. 14. num. 43. Item, qui justitiarium, seu ministrum justitiæ occidit exercentem actum justitiæ securum, & nihil tale præcaventem. Sesse de inhibiti. cap. 8. §. 4. Carrasco dicit cap. 3. §. 4. num. 11. etsi contrarium teneat Giurba consil. 20. qui circa Alguacellum negativè resolvunt, videlicet proditorium homicidium non dari: docent Peregrinus de immunitat. cap. 8. num. 5. Ambrosinus eodem tractat. cap. 9. num. 7. Farinacius eodem tract. cap. 13. num. 185. Diana part. 1. tract. 1. resol.

20. Qui autem alterum occidit in diffidatione, quia non est homicidium per insidias immunitate gaudet. Giurba consil. 100. num. 21. Narbona in leg. 20. tit. 1. libr. 4. recop. glossa 12. num. 10. Bobadilla libr. 2. cap. 14. num. 39. Diana 6. part. tract. 1. resol. 13. licet lex 10. tit. 8. libr. 8. recop. asserat: Cae è incurre por ello en penna de aleue: & contrarium subtili ratione motus defendat Barbosa de jure eccles. libr. 2. cap. 3. num. 101. Circa illum verò, qui sclopeto occidit, an homicida proditorius judicandus sit, pro parte affirmativa est lex 16. tit. 26. libr. 8. recop. ibi: Por ser armatraydora, y que no sirve sino de hazer muertes seguras, y aleuosas: & in l. 15. §. 17. ejusdem tituli declaratur, quod sit alevosus, & quod habeatur pro alevosus, in l. 18. tit. 6. libr. 6. recop. atque ita docuerunt proditorium homicidam esse; Azevedo in l. 3. tit. 2. l. br. 1. recop. num. 10. Marius Cutellius de præfca & recent. libert. libr. 1. quest. 17. & in Cod. a d. ll. Federici, cap. 109. num. 89. Didacus Perez in l. 39. tit. 19. libr. 8. ordin. Hevia in Curia l. hilip. 3. part. §. 12. num. 35. Narbona in l. 20. tit. 1. lib. 4. recop. glossa 11. num. 18. arguendo de familiari, qui reputatur aleuosus: item in l. 12. glossa 2. tit. 6. lib. 6. recop. num. 3. Sanchez libr. 6. consilior. cap. 1. dub. 8. num. 16. Pro parte negativa, cui adhæreo, stat mascula juris ratio, quia instrumentum vulneris, aut homicidii non facit homicidium proditorium, sed animus, & occidentis intentio. Probat Giurba in terminis sclopeti consil. 10. num. 22. & in quocunque armorum genere Vincentius Franchiz decis. 713. num. 21. At Princeps sæcularis nihil circa immunitatem ecclesiasticam statuere potest, cum ad ejus potestatem non pertineat, nec possit verè, realiterque propriam qualitatem delictis indicare, quamvis possit exacerbare pœnas. Ergo ex eo, quod Rex aleuosus esse statuerit, nihil officit, nec proficit immunitati. Ita Diana part. 6. tractat. 1. resol. 13. Giurba consil. 50. num. 26. & consil. 90. num. 13. Peguera decis. 40. num. 7.

CAPUT II.

Ex ^a Pœnitentiali Romano.

Interfecisti furem, aut latronem, ubi comprehendi poterat absque occasione: quia ad imaginem Dei cretus est. 40. dies non intres Ecclesiam: & ^b lanea veste indutus, ab escis, & potibus, qui interdicti sunt, & ^a a toro, ^c gladio, & equitatu illos supradictos dies abstinens. In tertia autem, & quinta feria, & Sabbatho aliquo genere leguminum, vel ole-ribus, pomis & parvis pisculis, cum mediocri cervisia utere temperatè. Si autem sine odii meditatione, te ^f tuaque liberando, hujusmodi diaboli membra interfecisti (secundum indulgentiam dico, propter imaginem Dei,) si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi: & elemosynam fac largiter. Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur: tamen quamdiu vivit, ^g pœnitentiam agat.

NOTÆ.

^a Pœnitentiali.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. & reperitur textus hic in pœnit. Romano, tit. 1. cap. 24. Sed Burchardus lib. 11. Decreti, cap. 60. Carnot. p. 13. Decret. cap. 46. Gratianus in cap. final. 13. q. 2. citant verba hæc ex canone 1. Concilii Aurelian. unde credo præsentem canonem editum fuisse in aliquo ex Conciliis Aurelian. quod non extat; &

ex eo transcriptum fuisse in Pœnitentiali Romano, à quo acceperunt Bernardus Papiensis in d. 1. collect. Raymund. in præfenti.

^b Lanea veste.) Pœnitentes olim dum erant in statu pœnitentiæ solennis, non solum mutabant vestes, Concil. Agathens. can. 15. Tolet. 3. can. 12. Tolet. 6. can. 7. ibi: Si qui ingenuorum n-riusq; sexus sub nomine pœnitentis in habitu religioso sunt conversati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta secularia sumentes, ad id, quod